



COLLEGGII EXPERIMENTALIS, SIVE CURIOSI, TENTAMEN I.

Quo

*Campana Urinatoria recens - Inventa Scotisq̄
& aliis gentibus usu jam comprobata, & structuram &
usum sub modica forma ipsis oculis subjecimus.*



Cilicet, è GEORGII SINCLARI Arte
magna & nova Gravitatis & Levitatis, &
quidem ex *Lib. II. Dial. V.* oretenus primùm
enumeravimus *Urinatoria Campana* effecta
& Phænomena sequentia:

I. Ejus cavitate tectum ingeniosissimum
Artificem, ad *Mulam* Scotiæ Insulam, usque Phænom. I.
ad fundum maris se demisisse, hujusq̄ machinamenti ope
tormenta bellica tria, æneum unum pedum undecim longi-
tudinem & octo ferè digitorum diametrum habens, alterum
cupreum æqualis quàmproximè dimensionis cum priore, ac
tertium ferreum multa jam ferrugine exesum (cùm cætera
integra essent & illæsa) è demerso per septuaginta septem an-
nos navigio sustulisse, Anno Christi millesimo sexcentesimo
sexagesimo quinto.

II. Non opus autem ipsum habuisse aëre supernè per
tubulos coriaceos descendente, quæ communis erat & mo-
lestior sub aquis respirandi ratio, sed tantam aëris copiam unà

A

secum